



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 7. Flavii Ursini Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI  
A. C. 1581.

primo animam Deo reddidit, cujus corpus Romam deportabatur, atque in sacello, quod pro ejus familia in S. Mariæ Majoris Basilica extructum est, condebatur in nobilissimo sepulcro, quod vivens sibi erexerat, e regione alterius, quo Cardinalem Ascanium Sfortiam fratrem suum donaverat.

§. VII.

*Flavii Ursini Cardinalis mors.*

Ciacon.  
p. 911. Vi-  
Evel. ibid.  
Franc. San-  
ler. de famil.  
Ursin.

Flavius Ursinus patria Neapolitanus, seu ut alii volunt Romanus ex nobilissima Ursinorum familia ortum duxit, Filiusque fuit Ferrantis Gravinae Ducis, & Beatricis Ferellæ, quæ Alphonsi Comitis Murani Filia erat. Ceterum Flavius a Pio IV. ex utriusque Signaturæ Referendario, & Cameræ Apostolicæ Auditore Episcopus Muranensis in Apulia renuntiabatur, atque anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Spoletanus Antistes creabatur, demum vero biennio post Presbyter Cardinalis S. Joannis ante portam latinam, & deinde SS. Petri, & Marcellini nominatus fuit, & propter juris Pontificii, & rerum civilium diuturnum usum, vitæque exemplum, prudentiam, gravitatem, humanitatem, abstinentiam, & animi moderationem, atque integritatem  
a sum-



a summo Pontifice plurimi habebatur, hinc ab eodem Ecclesiam Cosentinam obtinebat, quam tamen quarto post anno dimiserat. Denique regnante Gregorio XIII. in Gallias ad Carolum Regem IX., ut fugatis hæreticis, arma contra Turcarum Tyrannum caperet, Legatus, atque inde in Urbem reversus, Belgarum protector, & Signaturæ Brevium Præfectus seligebatur, dum vero infirmam valetudinem refecturus, Neapolim ad Puteolana balnea contendit, decima quinta Kalendis Augusti, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octogesimo primo Neapoli apud Pizzifalconem, anno ætatis quinquagesimo primo vitæ concessit.

§. VIII.

*Petri Ciaconii extrema.*

Pariter ad eundem annum refertur obitus quorundam Scriptorum Ecclesiasticorum, quorum primus erat Petrus Ciaconius Presbyter Hispanus anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quinto Toletus natus, qui primævam sui ingenii propensionem ad literas secutus nequidem suorum parentum, qui tenuis erant fortunæ, subsidiis adjutus Salmanticam contendit, ubi studiis vacans, percursoque Philosophiæ, & Theologiæ studio

*Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. Dupin. Bibl. des Aut. Eccl. 16. Siecl. 4. part. p. 424.*

*Hist. Eccles. Tom. I. B insu*